



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Item aliud scriptum contra doctrinam in articulis illis traditam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ immèdiatè à Christo fundata est, & in potestatem summi Pontificis, & quemlibet eorum esse hæreticos, In cuius rei testimonium sigillum meum apposui, & manu mea propria subscripsi.

XII. Ego frater Iacobus Abbas Pontiniaci, sacrae theologiæ professor, dico & assero prædictos articulos, prout proponuntur, esse falsos, improbables, & superstitiosos, & contradicentes vitæ Christi & evangelicæ veritati, ac auctoritati, unitati, ac plenitudini potestatis summi Pontificis, à quo statuta quæcunque regularia suam trahunt roboris firmitatem, & per consequens dictos articulos iudico esse hæreticos. In cuius rei testimonium manu mea hoc scripsi, & sigillum nostrum appendi feci.

XIII. Ego Raymundus Massiliensis Episcopus credo & dico superscriptos articulos & quemlibet eorum esse hæreticos, & pertinaces assertores eorum fore sicut hæreticos condemnandos. In cuius rei testimonium præsentis scripturæ sigillum meum apposui, & subscripsi.

Vide supra
pag. 198.

PROPTER prædictos errores fuerunt quatuor fratres ordinis fratrum Minorum in Massilia per fratrem Michaëlem de ordine fratrum Minorum Inquisitorem hæreticæ pravitatis auctoritate apostolica deputatum, cui etiam Dominus Raymundus Massiliensis Episcopus commisit vices suas, iudicati tamquam hæretici, & relictæ curiæ & brachio seculari, & combusti sub anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo, tempore paschali, quia noluerunt dictos articulos seu errores abjurare, & nonnulli alii ejusdem ordinis, qui prædictos errores abjuraverunt, fuerunt ad pœnam carceris condemnati, ex quibus aliqui postmodum infra annum,

num, spretis mandatis Ecclesiæ sibi factis, & post dictos errores in iudicio abjuratos, apostatando à religione pariter & à fide transferunt ad gentes infideles, relinquentes in scriptis ea quæ sequuntur, videlicet quòd ipsi non dimittebant ordinem, sed parietes, non habitum, sed pannum, non fidem, sed corticem, non Ecclesiam, sed synagogam cæcam, non pastorem, sed devorantem.

Item quòd sicut post mortem Antichristi persecutoris fidelium exterminabuntur qui fuerint ex parte ejus à verè Christi fidelibus & ministris, sic mortuo isto Papa, videlicet Iohanne vicesimo secundo, nos & socii nostri fideles Christi, nunc persecutionem ab adversariis Christi sustinentes, apparebimus, & de omnibus adversariis reportabimus victoriam, & ipsis exterminatis per reprobationem & revocationem iniquorum processuum & sententiarum factorum & factarum contra nos, immo potius contra Christum & contra vitam & perfectionem & evangelium ejusdem Christi sanctum. Prædicta verba erant scripta in littera Inquisitoris hæreticorum fratris Michaëlis Monachi de ordine fratrum Minorum, quam misit de Massilia apud Avinionem contra eos. quam vidimus & audivimus legi & recitari anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo.

Ecce insania talium ista dicentium & dogmatizantium contra fidem Ecclesiæ Romanæ sanctæ.

Inter ceteros errores de dicta postilla extractos sunt hi notabiles qui sequuntur.

In nono articulo dicit sic. *Sicut in sexta aetate, rejecto carnali Iudaismo & vetustate prioris seculi, venit novus homo Christus cum nova lege, vita, & cruce, sic in sexto statu, rejecta carnali Ecclesia & vetustate prioris seculi, renovabitur Christi lex & vita & crux. Propter quod in ejus primo initio Fran-*

Suprà pag.
221.

Franciscus apparuit Christi plagis characterizatus & Christo totus con crucifixus & configuratus.

Magistri octo judicaverunt istum articulum hereticum & horrendum.

Suprà pag.
274.

Pag. 230.

Pag. 235.

Ibid.

Pag. 246.

Item vicesimo tertio articulo dicit sic. *Initium sexte apertionis per exterminium Babylonis, id est Ecclesie carnalis, debet fieri, & regula beati Francisci impugnanda & condemnanda est nequiter ab Ecclesia carnalium & superborum, sicut Christus condemnatus fuit à Synagoga reproba Iudeorum.* Item consequenter dicit quòd in tali impugnatione fidei & ecclesiastici regiminis factus est niger & quasi saccus depilis porcorum & ferarum contextus; & subdit quòd tunc totus status Ecclesie in Prælati & plebibus & religiosis funditus subvertetur, præter id quod in paucis & electis remanebit occultè, & nigrescet lux solaris fidei, ipsaque Ecclesia apparebit quasi luna cruentata, dicens quòd tunc nova Babylon, quam vocat Ecclesiam universalem, judicanda erit sicut fuit carnalis Hierusalem, quia Christum non recepit, sed eum reprobat & crucifixit.

Item vicesimo octavo articulo dicit sic, exponens illud Apocalypsis, *Vidi alterum angelum ascendentem &c. Hic ergo angelus est Franciscus, evangelica vite & regula sexto & septimo tempore propaganda & magnificanda renovator & summus Christi & ejus matrem observator.*

Item decimo capitulo dicit sic. *Sciendum est quòd sicut sanctissimus pater noster Franciscus est post Christum & sub Christo primus & principalis fundator & initiator & exemplator sexti status & evangelicæ regule ejus, sic ipse post Christum designatur per angelum qui posuit pedem dextrum super mare, quia ad Saracenos convertendos laboravit ter ire. dicens quòd in decimo tertio centenario à passione & resurrectione*

Christi inchoando iunt Sarraceni & ceteri infideles per ejus ordinem cum multis martyriis convertendi, & exaltabitur Franciscus & ejus evangelicus ordo in cruce, & ascendet ejus gloria super totum orbem.

Item in eodem capitulo dicit sic. *Sicut Synagoga propagata est ex duodecim Patriarchis & Ecclesia de gentibus ex duodecim Apostolis, sic finalis Ecclesia reliquiarum Iudaeorum & gentium est per duodecim viros evangelicos propaganda. Unde & Franciscus habuit duodecim socios & filios, per quos & in quibus fuit fundatus ordo evangelicus.* Supra pag. 241.

Item quadragesimo octavo articulo dicit super decimum sextum capitulum Apocalypsis quod per sedem bestiae principaliter designatur carnalis clerus in hoc quinto tempore regnans & toti Ecclesiae praesidens, in quo quidem bestialis vita transcendenter & singulariter regnat & sedet sicut in sua principali sede & longè plusquam in laicis & plebibus sibi subjectis; & dicit quod infra vocatur Babylon meretrix habens in manu sua poculum aureum plenum abominatione. Pag. 258.

Item quinquagesimo tertio articulo super idem capitulum, exponens illud *Terrae motus factus est magnus, dicit sic. Praeambulum casus Babylonis sexto tempore fiendi est subversio & commotio sub mystico Antichristo fienda, per quam tota carnalis Ecclesia terribiliter excœcabitur & commovebitur contra evangelicum spiritum Christi, dicens quod mulier quam vidisti est civitas magna quae habet regnum super Reges terrae. Haec ergo est Ecclesia carnalis tam Romae quam in toto regno Romanorum seu Christianorum diffusa.* Pag. 261.

Item quinquagesimo quarto articulo dicit sic. *Nota quod haec mulier stat hic pro Romana gente & imperio, tam prout fuit quondam in statu paganismi quam prout postmodum fuit in fide Christi.* Ibid.